

matrimonium contrahendum. Coloss. 111. 20. *Filii obedite parentibus vestris per omnia.* Ergo etiam in hoc eis obedire tenentur.

2. Præterea. Genes. xxviii. Isaac præcepit Jacob quod non acciperet uxorem de filiabus Chanaan. Non autem præcepisset, nisi de jure præcipere potuisset. Ergo filius in hoc tenetur obedire patri.

3. Præterea. Nullus debet promittere, præcipue per juramentum, pro illo quem non potest cogere ad servandum. Sed parentes promittunt futura matrimonia pro filiis, & etiam juramento firmanr. Ergo possunt præcepto cogere filios ad implendum.

4. Præterea. Pater spiritualis, scilicet Papa, potest compellere præcepto ad matrimonium spirituale, scilicet ad Episcopatum accipiendum. Ergo & pater carnalis ad carnale matrimonium.

Sed contra. Patre imperante matrimonio, filius potest sine peccato religionem intrare. Ergo non tenetur ei in hoc obedire.

Præterea. Si teneretur obedire, sponsalia per parentes contracta absque consensu filiorum essent stabilla. Sed hoc est contra jura. Ergo &c.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum matrimonium sit quedam quasi servitus perpetua, patet non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis, sed potest eum inducere ex rationabili causa: & tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris; ut si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, & præceptum similiter cogat; alias non.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Apostoli non intelligitur in illis in quibus sicut pater est liber, ita & filius: & hujusmodi est matrimonium, per quod etiam filius fit pater.

Ad secundum dicendum, quod Jacob alias tenebatur ad faciendum hoc quod mandavit Isaac, tunc

propter malitiam illarum mulierum, tunc quia semen Chanaan de terra quæ semini patriarcharum promittebatur, erat disperdendum: & ideo Isaac præcipere poterat.

Ad tertium dicendum, quod non jurant nisi illa conditione subintellecta: Si illis placuerit; & ipsi obligantur ad eos bona fide inducendum.

Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt, quod Papa non potest præcipere alicui quod accipiat episcopatum: quia consensus debet esse liber. Sed hoc posito, perit ecclesiasticus ordo. Nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesia conservari non posset; cum quandoque illi qui sunt idonei, hoc nolint suscipere nisi coacti. Et ideo dicendum, quod non est simile hinc inde: quia non est aliqua corporalis servitus in matrimonio spirituali sicut in corporali: est enim spirituale matrimonium, sicut quoddam officium dispensandæ reipublicæ. I. Corinth. iv. 1. *Sic nos existimel homo, ut ministros Christi.*

## EXPOSITIO TEXTUS.

**L**egati Principis Jordani retulerunt. Videtur quod non possit fieri matrimonium per interuentios: quia si ante adventum nutriti alter poeniteat, non erit matrimonium. Et dicendum quod potest aliquis alterum procuratorem constituere ad consentiendum; tamen si ante poeniteat quam ille consentiat, non est matrimonium, nec in rei veritate, nec secundum iudicium Ecclesiæ, si aliquibus signis appareat poenituisse. Sed ex quo consensus per interuentios factus est, matrimonium tenet ac si ipse fecisset.

Consentire autem probatur qui evidenter non contradicit. Hoc intelligitur quantum ad forum Ecclesiæ: quia quantum ad forum conscientiæ, si interius dissentiat, quamvis exterius non reclamet, non est matrimonium.

## DISTINCTIO XXX.

## De errore qui evacuat consensum.

**N**EC solum coactio impedit, vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensus impedit: est enim error alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ quando hic putatur esse homo ille, & est alius. Error fortunæ, quando putatur esse dives, qui est pauper, vel è converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitatis quando putatur esse bonus qui est malus. Error fortunæ, & qualitatis, conjugii consensum non excludit. Error vero conditionis conjugalem consensum evacuat; de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personæ consensum conjugalem non admittit, ut si quis feminam nobilem in conjugium perat, & pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos conjugium: quia non consensit vir in istam, sed in aliam: ut si quis promitteret mihi se venditurum aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet: numquid diceret consensisse in aurichalcum? Numquam volui emere aurichalcum: nec ergo in illud consensui, quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiæ excludit consensum, ita & in conjugio error personæ. Sed obicitur de Jacob, qui pro Rachel septem annis servierat, & supposita est ei Lia. Numquid error personæ exclusit conjugium, cum non in eam, sed in Rachel consenserit? Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbe traditur. Ibi tamen etsi non præcessit, securus est consensus: nec ex illo concubitu qui consensum præcessit, fornicarii iudicantur; cum ille maritali affectu eam cognoverit, & illa uxorio affectu debitum persolverit, putans lege primogenitarum, & paternis imperis se illi iute copulatam. Excusatur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Hodie etiam excusaretur ille cui inscio uxoris soror lectulum ejus ingressa se subjiceret; quæ cum sine spe conjugii perpetuo manere censeatur, ille tamen qui cognovit eam per ignorantiam, excusatur; quod per simile probatur. Si enim diabolus transfigurans se in Angelum Incis credatur bonus, non est error periculosus. Quod autem vir ille in illam mulierem non consenserit, ex simili ostenditur. Si quis hæreticus nomine Augustini, vel Ambrosii alicui catholico se offerret, eumque ad suæ fidei imitationem vocaret, si ille assentiret, in cuius fidei sententiam dicitur consensisse? Non in hæreticorum sectam, sed in integritatem fidei quam ille hæreticus se mentiebatur ha-

habere. Error vero fortunæ consensum non excludit. Quæ enim nubit pauperi, putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. Nec error qualitatis; ut si quis ducat uxorem metetricem, vel corruptam, quam putat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere (i).

## De conjugio Mariæ &amp; Joseph.

**P**ræmissis aliquid addendum est de modo illius consensus qui inter Mariam & Joseph intercessit. Sane credi potest non solum Mariam, sed etiam Joseph apud se disposuisse virginitatem servare velle, nisi Deus aliter juberet; eosque sic consensisse in conjugalem societatem ut uterque de altero, revelante Spiritu Sancto, intelligeret quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sed illam voluntatem verbis non expresserant, postea vero expresserunt, & in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam; nisi de eadem specialiter Deus præciperet, cujus etiam consilio in maritalem consensit copulam, quia virginitatem servare volebat: & ideo non aliter consensit in conjugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset: de qua Augustinus (de nupt. & concup. Lib. I. cap. xi. & xii. implicite tamen: & habetur causa xxvii. quest. 11. cap. 3. Sufficiat, 3. S. Cum ergo, & cap. 3. Beata Maria) sic ait: „Beata Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde; sed ipsum votum non expressit in ore. Subiecit se divinæ dispositioni, proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit.

## Quod perfectum inter eos fuit conjugium.

**I**nter quos, ut ait Augustinus; ubi supra, perfectum fuit conjugium: perfectum quidem non in significatione, sed in sanctitate. Sanctiora sunt enim conjugia pari voto continentium. Unde Augustinus, epist. cxcix. ad Ecditiam. „Quod Deo pari voto, & consensu voveratis, ambo perseveranter reddere debuistis: quæ quo proposito si lapsus est ille, tu saltem persevera. Non (2) enim quia pariter temperabatis à commixtione carnali, ideo maritus tuus esse desiderat; inmo vero tanto sanctius conjuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis.“ Perfectum ergo fuit Mariæ & Joseph conjugium in sanctitate. Perfectum etiam fuit secundum triplex bonum conjugii, fidem scilicet, prolem, & sacramentum. Omne enim nuptiarum bonum, ut ait Augustinus, Lib. I. cap. x. de nupt. & concupisc. impletum est in illis parentibus Christi, fides, proles, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum divortium. Solum ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccatum: sacramentum, quia nullum divortium. Solum ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccatum: sine peccato futurus erat. Et licet non intercessisset conjugalis concubitus, conjuges tamen vere fuerunt mentes, non carne, sicut & parentes: quamvis Ambrosius dicit (2) Lib. I. de Patriarchis, & habetur xxvii. quest. 11. cap. 3. In omni matrimonio: „perfectum fieri conjugium per carnalem copulam.“ In omni, inquit, matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat, & perficit conjunctorum commixtio corporalis. Sed intelligendum est conjugium perfici commixtione corporali, non quantum ad veritatem, vel sanctitatem conjugii, sed quantum ad significationem: quia perfectius unionem Christi, & Ecclesiæ tunc figurat.

## De causa finali conjugii.

**E**xposito quæ sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam soleat, vel debeat contrahi matrimonium. Est igitur finalis causa matrimonii contrahendi principalis procreatio prolis. Propter hoc enim instituit Deus conjugium inter primos parentes, quibus dixit (Genes. 1. 28. „Crescite, & multiplicamini.“ Secunda est post peccatum Adæ vitio fornicationis; unde Apostolus, I. Corinth. vii. 2. „Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæque habeat virum suum.“ Sunt & aliæ causæ honestæ, ut inimicorum reconciliatio, & pacis reintegratio. Sunt etiam & aliæ causæ minus honestæ, propter quas aliquando contrahitur, ut viri, mulierisque pulchritudo, quæ animos amore inflammatos sæpe impellit inire conjugium, ut valeant suum explere desiderium. Quæstus quoque, & vitiarum possessio frequenter est conjugii causa; & alia multa, quæ cuique diligentiam, adhibenti facile est discernere. Nec est assentiendum illis qui dicunt, non esse conjugium quod propter has causas minus honestas contrahitur. Constat enim ex præmissis conjugium fieri ex communi consensu verbis de præsentis expresso, quamvis amor ad hoc attraxerit. Cujus rei documentum præstat Jacob, Genes. xxix. qui Rachel decoram facie, & venusto aspectu amavit: eamque multum diligens ait: „Serviam tibi pro Rachel septem annis.“ In Deuter. xxi. 11. etiam legitur: „Si videris in medio captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerisque uxorem habere, introduces eam in domum tuam &c.

## Quod malus finis non contaminat sacramentum.

**E**t licet fine non bono contrahatur conjugium, quando species contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum est: quia vita mala, vel intentio perversa alicujus, sacramentum non contaminat. Habuit autem conjugium Mariæ & Joseph alias causas speciales, scilicet ut Virgo solatio viri sustentaretur, & ut diabolo partus celaretur, & ut Joseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera damnaretur.

(1) Addit Nicolajus & aliam ducere. (2) Al. deest enim.

Ex Edit. P. NICOLAI. (2) Nullibi apud Ambrosium hæc occurrunt; sed cujuscumque sint, vel explicari debent ut hic, vel non curari.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam ostendit Magister quod consensus matrimonii impeditur per coactionem, hic ostendit quod impeditur per errorem: & dividitur hæc distinctio in partes tres. In prima determinat de impedimento erroris; in secunda de consensu qui fuit in matrimonio Beatæ Virginis, ibi: Præmissis aliquid addendum est; in tertia de causa finali matrimonii, ibi: Exposito quæ sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam soleat, vel debeat contrahi matrimonium. Circa primum tria facit. Primo ostendit quis error matrimonium impediatur. Secundo obijcit in contrarium, ibi: Sed obijcitur de Jacob &c. Tertio solvit, ibi: Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbe traditur.

Præmissis aliquid addendum est. Hic determinat de consensu quod fuit in matrimonio beatæ Virginis, & circa hoc duo facit. Primo ostendit cujusmodi consensus ille fuit. Secundo ostendit quod matrimonium illud fuit perfectum, ibi: Inter quos, ut ait Augustinus, perfectum fuit conjugium.

Exposito quæ sit efficiens causa matrimonii &c. Hic determinat de causa finali matrimonii: & primo de causis matrimonii in generali; secundo de causis matrimonii B. Virginis, ibi: Habuit autem conjugium Mariæ & Joseph alias causas speciales. Circa primum duo facit. Primo ponit causas finales matrimonii, & principales, & secundarias. Secundo excludit errorem, ibi: Nec est assentiendum illis qui dicunt, non esse conjugium quod propter has causas minus honestas contrahitur. Ubi duo facit. Primo ostendit quod malus finis non facit quod non sit matrimonium. Secundo ostendit quod non facit quod non sit matrimonium bonum, ibi: Et licet sine non bono contrahatur conjugium, quando species contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum est.

QUÆSTIO I.

Hic est duplex quæstio. Prima de matrimonio in communi. Secunda de matrimonio beatæ Virginis.

- Circa primum quæruntur tria. Primo. Utrum error de sui natura matrimonium impediatur. Secundo. Quis error. Tertio. De causa finali matrimonii.

ARTICULUS I.

Utrum error debeat poni matrimonii impedimentum per se.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod error non debeat poni matrimonii impedimentum per se. Consensus enim, qui est causa efficiens matrimonii, impeditur sicut & voluntarium. Sed voluntarium, secundum Philosophum in III. Ethic. cap. vii. ponitur impediri per ignorantiam, quæ non est idem quod error: quia ignorantia nullam cognitionem ponit; sed error ponit, eo quod approbare falsa pro veris sit error secundum Augustinum, in Enchirid. ad Laurent. cap. vii. Ergo non debuit hic poni impedimentum matrimonii error, sed magis ignorantia.

(1) Al. consensus.

2. Præterea. Illud potest impedire matrimonium de sui natura quod habet contrarietatem ad bona matrimonii. Sed error non est huiusmodi. Ergo error de sui natura non impedit matrimonium.

3. Præterea. Sicut consensus requiritur ad matrimonium, ita intentio requiritur ad baptismum. Sed si aliquis baptizat Joannem, & credit baptizare Petrum, nihilominus Joannes vere baptizatus est. Ergo error non excludit matrimonium.

4. Præterea. Inter Liam & Jacob fuit verum matrimonium. Sed ibi fuit error. Ergo error non excludit matrimonium.

Sed contra est quod in Digestis dicitur: Quid tam contrarium est consensui, quam error? Sed consensus requiritur ad matrimonium. Ergo error matrimonium impedit.

Præterea. Consensus aliquid voluntarium nominat. Sed error impedit voluntarium: quia voluntarium secundum Philosophum, III. Ethic. cap. iv. & Gregorium Nyssenum (Nemesium Lib. III. cap. III.) & Damascenum, Lib. II. de Fide orth. cap. xxiv. est cujus principium est in aliquo scientie singularia, in quibus est actus; quod erranti non competit. Ergo error matrimonium impedit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quidquid impedit causam, de sui natura impedit & effectum similiter. Consensus autem est causa matrimonii, ut dictum est: & ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus qui præsupponit actum intellectus. Deficiente autem primo necessario est defectum contingere in secundo: & ideo quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso (1) consensu defectus, & per consequens in matrimonio; & sic error de jure naturali habet quod evacuet matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod ignorantia differt, simpliciter loquendo, ab errore: quia ignorantia de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum; sed error ponit iudicium rationis perversum de aliquo. Tamen quantum ad hoc quod est impedire voluntarium, non differt utrum dicatur ignorantia, vel error: quia nulla ignorantia potest impedire voluntarium, nisi quæ habet errorem adjunctum, eo quod actus voluntatis præsupponit æstimationem, sive iudicium de aliquo in quod fertur. Unde si est ibi ignorantia, oportet esse errorem: & ideo etiam ponitur error quasi causa proxima.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non contrarietur secundum se matrimonio, contrariatur tamen ei quantum ad causam suam.

Ad tertium dicendum, quod character baptismalis non causatur ex intentione baptizantis directe, sed ex elemento materiali exterius adhibito. Intentio autem operatur solum ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium. Sed vinculum conjugale ex ipso consensu causatur directe: & ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod sicut Magister in littera dicit, matrimonium quod fuit inter Liam & Jacob non fuit perfectum ex ipso concubitu qui ex errore contigit, sed ex consensu qui postmodum accessit. Tamen uterque de peccato excusatur, ut in littera patet.

ARTICULUS II.

Utrum omnis error matrimonium impediatur.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod omnis error matrimonium impediatur, & non solum error conditionis, aut personæ, ut in littera dicitur. Quia quod alicui convenit secundum se, convenit ei secundum totum suum ambitum. Sed error de sui natura habet quod matrimonium impediatur, ut dictum est. Ergo omnis error matrimonium impedit.

2. Præterea. Si error, in quantum huiusmodi, matrimonium impedit, magis error magis debet impedire. Sed magis est error fidei, qui est in hæreticis non credentibus hoc sacramentum, quam error personæ. Ergo magis debet impedire quam error personæ.

3. Præterea. Error non evacuat matrimonium, nisi in quantum tollit voluntarium. Sed ignorantia cujuslibet circumstantiæ voluntarium tollit, ut patet in III. Ethicor. ubi sup. Ergo non solum error conditionis, seu personæ matrimonium impedit.

4. Præterea. Sicut conditio servitutis est aliquid annexum accidens personæ, ita qualitas corporis, aut animi. Sed error conditionis impedit matrimonium. Ergo eadem ratione error qualitatis, aut fortunæ.

5. Præterea. Sicut ad conditionem personæ pertinet servitus, & libertas, ita nobilitas, vel ignobilitas, aut dignitas status, & privatio ejus. Sed error conditionis libertatis, vel servitutis impedit matrimonium. Ergo & error aliorum dictorum.

6. Præterea. Sicut conditio servitutis impedit, ita etiam disparitas cultus, & impotentia coeundi, ut infra dicitur. Ergo sicut error conditionis ponitur impedimentum matrimonii, ita error circa alia huiusmodi deberet impedimentum matrimonii poni.

7. Sed contra. Videtur quod nec error personæ matrimonium impediatur. Quia sicut emptio est quidam contractus, ita & matrimonium. Sed in emptione, & venditione si detur aurum æquivalens pro alio auro, non impeditur venditio. Ergo nec matrimonium impeditur, si pro una muliere alia accipiatur.

8. Præterea. Potest contingere quod per multos annos isto errore detineantur, & filios, & filias generent simul. Sed grave esset dicere, quod tunc essent dividendi. Ergo error primus non frustravit matrimonium.

9. Præterea. Potest contingere quod frater vitii in quem se credidit consentire mulier, offeratur ei, & cum eo commisceatur carnaliter. Videtur ergo quod non possit redire ad illum in quem consentire se credidit, sed debeat stare cum fratre ejus; & sic error personæ non impedit matrimonium.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut error ex hoc quod involuntarium causat, habet excusare peccatum, ita quod matrimonium impediatur ex eodem. Error autem non excusat à peccato, nisi sit illius circumstantiæ cuius appositio, vel remotio facit differentiam liciti, & illiciti in actu. Si enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo, quem credit ligneum esse, non excusatur à toto, quamvis forte à tanto; sed si credat quis percutere filium causa disciplinæ, & percutiat patrem, excusatur à toto, diligentia debita ad-

(1) Al. vel secundum relinquere, & ad primum &c.

hibita. Unde oportet quod error qui matrimonium impedit, sit alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit matrimonium ipsum, scilicet personas quæ coniunguntur, & mutuum potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. Primum autem tollitur per errorem personæ; secundum per errorem conditionis, quia servus non potest potestatem sui corporis alteri tradere sine consensu domini sui: & propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, & non alii.

Ad primum ergo dicendum, quod error non habet ex natura generis quod impediatur matrimonium, sed ex natura differentiæ adjunctæ, prout scilicet est error alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonii.

Ad secundum dicendum, quod error infidelis de matrimonio est circa ea quæ sunt matrimonium consequentia, sicut an sit sacramentum, vel an sit licitum: & ideo error talis matrimonium non impedit, sicut nec error circa baptismum impedit acceptionem characteris, dummodo intendat facere, vel recipere quod Ecclesia dat, quamvis credat nihil esse.

Ad tertium dicendum, quod non qualibet ignorantia circumstantiæ causat involuntarium quod excusat peccatum, ut dictum est: & propter hoc ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod diversitas fortunæ non variat aliquid eorum quæ sunt de essentia matrimonii, nec diversitas qualitatis, sicut facit conditio servitutis: & ideo ratio non sequitur.

Ad quintum dicendum, quod error nobilitatis, in quantum huiusmodi, non evacuat matrimonium eadem ratione qua nec error qualitatis. Sed si error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium: unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error de nobilitate ipsius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit consentire in filium Regis, quicumque sit ille, tunc si alius præsentetur ei quam filius Regis, est error personæ, & impediatur matrimonium.

Ad sextum dicendum, quod error etiam illorum impedimentorum matrimonii quantum ad ea quæ faciunt personas illegitimas, impedit matrimonium. Sed ideo de errore illorum non facit mentionem, quia illa impediunt matrimonium sive cum errore sive sine errore sint; ut si aliqua contrahat cum subdiacono, sive sciat, sive non sciat, non est matrimonium. Sed conditio servitutis non impedit, si servitus sciatur: & ideo non est simile.

Ad septimum dicendum, quod pecunia in contractibus accipitur quasi mensura aliarum rerum, ut patet in V. Ethic. & non quasi propter se quæ sita: & ideo si non detur illa pecunia quæ creditur, sed alia æquivalens, nihil obest contractui; sed si in re quæ sita propter se esset error, impediretur contractus, sicut si alicui venderetur asinus pro equo: & similiter est in proposito.

Ad octavum dicendum, quod quantumcumque fuerit cum ea, nisi de novo consentire velit, non est matrimonium.

Ad nonum dicendum, quod si ante non consenserat in fratrem ejus, potest eum quem per errorem accepit, retinere; nec potest ad fratrem ejus redire, præcipue si sit cognita carnaliter ab eo quem accepit. Si autem consenserat in primum per verba de presenti, non potest secundum habere primo vivente; sed potest (1) vel sæculum relinquere, vel ad primum redire.